

B. 191.



ELOGIVM
IO. GEORGII ROEDERERI

MED. ET PHILOS. DOCTORIS ARCHIATRI REGII MEDICINAE
CHIRVRGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORIS IN ACADE
MIA GEORGIA AVGVSTA PRINCIPATVS GOTTINGENSIS PHYSICI
SOC. REG. SCIENT. GOTTINGENSIS ACAD. IMPER. SCIENT. PETRO
POLITANAE SOC. REG. SCIENT. SVECICAE ACADEMIAE R. CHIRVR
GOR. PARISINAE SOC. REG. TEVTON. GOTTINGENS. SO
DALIS COLLEGII CHIRVRGOR. GOTTINGENS.
PRAESIDIS

IN CONSESSV
SOC. SCIENT. GOTTINGENSIS
D. XVIII FEBR. CIOIOCLXIII

RECITAVIT

ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER
MATH. ET PHYS. P. P. O. SOC. R. SC. GOTTING. ACADD. REG. SC. SVEC. ET
PRVSS. SOC. ELECT. SCIENT. VTIL. JERFORDINAE ACADD. BONONIENSIS
ET AVGVSTAE PERVSINAE SOCC. THEOT. ET LIBB. ART. LIPSIE
SIVM LATINAE ET THEOT. IENENSIVM SODALIS SOC.
REG. THEOTISCAE GOTTINGENSIS
SENIOR

GOTTINGAE
APVD VICTORINVM BOSSIEGELIVM CIOIOCLXIII



PL O G I V M
IO: GEORGII RONDREERI

MAI ET TRIBUS DOCTORIS. SOCIETATE RABE MENDICAE
CLAVATE ET ALIIS GREGORII MAGI PRINCIPIS DE AGRI
MIA QUA ANNO 1474. IN CIVITATE OSTIENSIS THEOLOG
ICAE FACULT. S. THEOLOG. ET CANON. FACULT. THEOL
PONTIFICAE SOCIET. THEOLOG. FACULT. ACAD. A. THEOL
G. PALLIUM SOC. REG. ET ALI. SOCIET. SOC.
DIAI CON. M. L. I. M. K. GOTT. SOC.

IN CONSENSU
SOC. SOCIET. GOTT. SOC.
D. XVIII FEBR. CESTROCCINI

RESTITUI
ABRAHAM GOTTFRIE KESTNER
MAI ET PNY. R. SOC. R. SOC. THEOL. ACAD. SOC. THEOL. DE
HUIS SOC. M. T. THEOL. VUL. THEOLOGICAE ACAD. SOCIET.
ET AVOUTER. THEOL. SOC. THEOL. ET THEOL. FACULT.
SV. PALLIUM ET THEOL. THEOLOGICAE FACULT.
REG. THEOLOGICAE GOTT. SOC.
SENIO

GOTT. SOC.
AV. THEOL. SOC. BOSZ. THEOL. CIOCCINI





Roedereri memoriam recolendam mihi sumsi auditores, facturus quod is ipse iusserat, cum proximo anno de Mayeri vita differentem audiisset. Et hoc quidem officium vix serio tunc vel impositum est, vel receptum. Sed quando illius praestandi tempus, citius multo venit quam metuere tunc cum aliqua ratione poteramus, liceat vel hanc cuius exitum tam propinquum futurum non crediderat, amici voluntatem, sanctam esse mihi, tot coniunctorum funeribus edocto, illam mihi sortem datam esse, quam cupresso Phoebus dederat, vt lugeam et dolentibus adsim.

Ab origine Roedereri, quoniam ita moris est, initium facturo, certare de illa mihi

A 2

viden-



videntur, duae maximae gentes, nostra, et quam nimium nostrae vicinam, iam non amplius Rhenuſ ſeparat. Argentorati enim in lucem editum, Gallogermanum forte non iniuria dixeris, neque dedecori hoc nomen fit illi, qui virtutes vtriuſque populi coniunxit, animi quidem probitatem eius populi cum quo olim libertate fruebatur patria, ingenii autem alacritatem alterius, cum quo ea iam regi obedit.

Parentum, honeſtatem et opes, ego quidem, in laudibus eruditi non magis poſuerim, quam alia quae non fecit ipſe, niſi, vt noſter, adiciat hoc de ſuo, vt oſtendat, agnoſcere ſe, non coecam ſortem, obieciſſe ſibi haec bona, ſed providentiam diuinam quo recte illis vtatur dediſſe. Sic ad ipſius Roedereri honorem pertinet nominare quibus illum debemus; Patrem habuit Io. Fridericum, inclytum lapidum pretioſorum negociatione, quae quidem, non ſine magno ingenii acumine multaſque peritia, et fere cum hominibus ſummo loco poſitis, ipſiſque principibus
 exer-



exercetur; fuerunt eius in ciuitate consiliis regenda partes aliquae, Senatui maiori adscripti. Matris Mariae Vrsulae gentilitium nomen, Froereisenium, iis qui Theologos celebriores norunt, ignotum esse non potest. (*) His parentibus, a diuorum hominumque patre die 15. Maii anno huius saeculi vicesimo sexto concreditus est. Pueri gymnasio traditi ea fuit tum ingenii felicitas tum industria, vt quatuordecim annorum ephebus in bonarum litterarum vniuersitatem quae patriam illustrat recipereur. Hic, didicisse illa quae vel cuius eruditorum vsui ornamentoque esse creduntur, vel ad artem salutarem cui se dederat inprimis pertinent, non est quod longius recenseam, graecae vero linguae, quam quidem ignorare medico turpe est, eam etiam qua antiquior sacri codicis pars scripta est iunxisse, et theologicas scholas frequentasse, id silentio non praeterendum censeo, si forte, qui in arte quam professus est imitandum sibi proponunt,

A 3

(*) Erat filia Io. Leonh. Froereisenii ad S. Thomam Canonici et Nicolaitani christianor. gregis pastoris.



nunt, vellent et hac in re exemplum ab eo sumere. Academicis studiis coronidem imposuit Lutetiae Parisiorum, et iter eruditum per Angliam, Batauiam, Germaniam instituit, in quo, postquam a maximis viris profecerat, sensit tamen Gottingae adhuc ab Hallero doceri se posse. Summis quos vocant in arte medica honoribus, aut ornatum iam e patria abiisse, aut saltem, reducem ex hoc itinere carere illis amplius noluisse, iurabunt, qui tribus annis, in academia quadam non omnino male collocatis, satis caro emi hos honores existimant. Hi vero sciant, patriae redditum, chirurgicae adhuc artis, et obstetriciae scholas frequentasse, et decennio in addiscenda arte salutari, ita ut dixi consumpto, demum ad doctoris titulum adspirasse, quem quinquagesimo saeculi anno consequutus est, mereri se illum, dissertatione de Fetu perfecto edita, et habita de Variolis morbo nouo, oratione, ostendens. Scilicet iam tunc, cum primum facultatem, quae didicerat ad salutem humanam transferendi consequebatur, polli-



polliceri visus est, non saltim adultioribus aegris operam suam se destinasse, sed debitos etiam illi qui post eum et post nos supersites futuri sunt, haec duo, alterum ut incolumes in lucem prodeant, alterum, ut veneno non nocituro variolarum, arte administrato, a naturali earum, eaque perniciosissima peste, tuti reddantur.

Iam patriae inferuire opera sua incipiebat, sed Hallero talis iudicatus fuerat, qui Gottin- gam ornare posset, et condiciones, ut patriam obliuisceretur effecturas, offerebat liberalis providentia, Eius, quem omnes optamus ut quam diutissime adhuc Georgia Augusta colat, praesentem conspicuumque tutelarem geni- um. Huc ergo, sub finem anni quinquage- simi primi, extraordinarius Anatomiae, Chi- rurgiae, artisque obstetriciae professor migra- vit, ordinariis Professoribus anno quinquage- simo quarto adscriptus et post Archiatri Regii elogio ornatus. (*) Datum antea iam erat ipsi munus, (**) in principatu Gottingensi, de iis

respon-
-RO (*) 1759. Göt. gel. Anz. iii. St. (***) 1756.



respondendi quae vel ad publicam curam valetudinis ciuium pertinent, vel ad iudices in caussis forensibus quarum historia a medico scribi debet docendos, *Physicum Prouincialem* vocamus cui id munus datur, nomine ex barbaris faeculis adhuc superstite; illis enim, inter alios insignes errores et hic vigeat, quem nostra tempora multo sapientiora ex animis hominum eiecerunt, medicum sine naturae cognitione esse non posse.

Dum in iis sum quibus Gottinga effecit, vt ad illam accessisse Roedererum non poeniteret, eius boni admoneor, cui nullum eorum quibus homines frui possunt comparandum censerem, si aut magis tuta esset illius possessio, aut doloris cum amittitur minor acerbitas. Intelligitis auditores, nam et vobis mollia esse pectora crediderim, de illo confortio me loqui, sine quo, vel recens creatum virum, non diu esse voluit vniuersi auctor. Et noster quidem, anno postquam hic sedem fixerat, cum Elisabetha Clara, Wahlii, inter ICtos qui Gottingam ornarunt illustris filia, iniit hoc
con-



confortium, solum breuitate temporis quo durauit infelix, nam sex annis post ereptam luxit. Superfuerunt viduo amoris pignora filiae duae, et illae, merito in se conuerti totum patris adfectum, virtutibus quae in aetatem sexumque illarum cadunt omnibus comprobarunt.

Non vero vnica doctoris academici eruditi, subtilis, et disertus, medicique felicis, laude Roedererus florebat, sed talis iudicabatur, cuius ingenio possent scientiarum limites extendi. Igitur nostra scientiarum societas, sodalem cooptauit, extraordinarium, et quam primum secessu cel. Hollmanni locus vacaret in classe physica, ordinarium, Holmiensis, (†) et chirurgorum Parisina, (*) suum etiam esse voluerunt. Imperialis autem Academia Petropolitana, quae sodalis titulum, e Russia abeuntibus relinquit, ceterum exteris rarius tribuit, nostrum singulari quadam ex causa,

(†) *G. g. A. 1757. 63. Sr.* (*) *G. g. A. 1769. 48. Sr.*



caussa, et quae multum faciat ad Roedereri honorem hoc elogio decoravit. Praemium annum academia proposuerat disquisitioni de monstrorum origine, imaginationi matris aliquid se hic tribuere passa, iis tamen qui certare vellent ipsam suam sententiam impugnandi libertatem relinquens; Dedit igitur praemium (*) scripto eorum quae suam sententiam tuerentur optimo, Krausii iam Prof. Lipsiensis. Roedererus contra, imaginationis vim ad monstrorum fabricam nullam esse, argumentis anatomico, iisdemque vero philosopho dignis, demonstrauerat (**). Caussam quae sibi placeret, victricem esse voluit Academia, inter scriptores tamen victum sibi magis placere, sodalem recipiens declararuit (***)).

In commentariis nostrae societatis, haec edita sunt Roedereri: Sermo de mola, de communi-

(*) d. 6. Sept. 1756.

(**) Vriusque scripti recensioem v. G. g. Anz. 1757. 30. St.

(***) Göt. g. Anz. 1756. 145. St.



municatione vteri et placentae, de pondere et longitudine recens natorum, fetus parasitici descriptio. Quibus non saltim naturae historiam auxit, sed et causas euentuum rimatus est. Vbi accidit illi, vt antiquorum quasdam sententias, quas euertisse recentiores inuentis suis putauerant, renouandas existimaret, sed ita tamen vt vel parum firmatas nouis argumentis fulciret, vel emendatioribus sifteret. Quale est: molam fieri, cum embryo lentius quam pro placentae incremento contingere deberet augetur, dumque editur ouum hoc deforme, minutus embryo cum sanguine fere effluit, sicque oculis se subducit, aut compressus vitiatur, vt agnosci nequeat (*). In ortu animalium explicando, propendebat etiam noster ad antiquorum opinionem, a feminibus commixtis eum repetendum esse. Addebat tamen, feminibus vires dare potuisse creatorem, quibus ea commixta, organicum corpus, illis vnde prodierunt simile, forment. His viribus eodem iure physicum vti posse,

B 2 quo

(*) Comm. soc. sc. Gott. T. II. p. 358.



quo grauitate, adhaesione, electricitate, vitur, quarum caussa aequae nos latet, adeoque *plasticae* vis nomen hoc sensu acceptum, postliminio reduci in philosophiam posse, vt attractio reduta est, cuius species quaedam plasticam illam vim constituere possit. Zoologiae inprimis multa accessere, vltimis, et in commentariis qui editi sunt non reperiundis, Roedereri laboribus, plura adhuc accessura erant, si in Anatomia comparata perficere quae inceperat licuisset. Quam vero in societate nostra legit historiam noui cuiusdam et a nemine obseruati vermium intestina humana incolentium generis, trichurides a caudae figura vocauit, illa effecit, vt nomen suum, naturae scrutatoribus proximum a Trembleii, polyporum inuentoris nomine celebretur (*).

Plura quae cum eruditis communicauit, iam in opusculis prodeunt, quorum editionem ipse instituerat, nescius posthuma futura. Sed catalogum operum alio tempore legatis malo,
iam

(**) Gött. gel. Anz. 1761, 25. St.



iam vtinam liceret mihi satis feliciter, Roedereri ingenium describere, vnde qualia sint haec opera ipsi iudicare possitis. In obseruandi arte quae palmaria est medici, summus erat, gratusque, Hallerum praeceptorem in illa suum nominabat. Videbat igitur tum in aegris tum in cadaueribus, quae effugerent oculos, aut hebetiores aut minus exercitatos, visis vero magno et felici cum acumine utebatur. Philosophos a reliquis hominibus non eo differre, quod alias res videant, sed quod videant alio modo, acute, et vere vt pleraque dixit Leibniti-
us. Illo philosophico videndi modo inprimis pollebat Roedererus, phaenomena obseruatore oculo sed quem genius inuentor re-
geret lustrans.

Eius genii opiferi excellentiam raro intel-
ligebant, qui magnitudinem auxilii ab illo ac-
cepti sentire tantum poterant, pene vt in cele-
bri illa Fenelonii fabula, nesciebat Mlyssis filius,
Deam comitem esse cui tot beneficia deberet.
Sed nos, cum de phaenomenorum caussis dis-

B 3

Mlyssis genitricis seren-



ferentem, aut praedicientem euentura, aut ex
 obseruatis, leges generales condentem, audie-
 bamus, morborum vero vim, non consuetis
 remediis vtcunque minuere, sed noua et quam
 probaret successus audacia frangere videba-
 mus, sublimius quidpiam esse in viro, iis dua-
 bus rebus, quibus agnoscuntur coelitus de-
 missi ad opem hominibus ferendam, genii,
 fulgore, et potentia, agnoscebamus.

Post haec non leue iudicabitis audito-
 res, si addam, cum vere esset philosophus
 Roedererus, hoc nomine honoris causa com-
 pellare illum voluisse ordinem philosophorum
 academiae nostrae, eumque hoc nomen ho-
 noris sibi duxisse. Cautum est, litterariae ciui-
 tatis in qua ego natus sum legibus, vt ad fa-
 cultatem quam gratiosam vocant, aditus nulli
 pateat, nisi philosophiam et artes liberales do-
 cendi ius consequuto; ea re, vt audiui a prae-
 ceptore quodam meo, admonentur medici, ne
 ad artem suam sine philosophia accedant, re-
 ctius adhuc facturi, si cum Roederero, totam
 suam artem, philosophiam corporis humani, e-
 iusque animati, efficiant.

Vix

Vix potest egregius esse naturae scrutator, et pulcherrima creatoris opera, perpetuo ante oculos posita habere, qui ad artium naturae imitaticium pulcritudinem hebes sit. Roedererus certe, de iis omnibus quae ad ornatum elegantiamque pertinent, scite iudicabat, pictura imprimis et poesi, idoneus utriusque arbiter, capiebatur, de suis scientiis, ita differabat, ut et doceret auditores, et delectaret. Hoc, ut testatum faceret, superiora studia tractantes humanioribus debere, ultimo, et omnibus quos dixi honoribus auctus, accedere voluit ad societatem quae Gottingae excolendis patriis litteris occupatur, habetque in tanti viri erga se adfectu societas, quod opponat impotenti aliorum odio.

Talis Roedererus placere vel iis poterat, quibus docendo aut medendo, non profectus. Quod ne exiguum credatis auditores, magni momenti fuit, cum gallico praesidio premeremur, nostroque magistratus academicus bis continuaretur, et, nullo adhuc exemplo, ex semestri sesquiennis fieret.

ret



ret (*) quoniam facundia, et dotibus quaecunque placent genti elegantiarum ac urbanitatis magistrae, plurimum effecturus apud illam iudicabatur.

Vtinam hoc solo probasset se ciuibus olim suis, neque medicus etiam illis innotuisset. Habermus, vel Roedererum ipsum, vel, si maturus erat coelo qui nondum satis vixerat terris, certe cineres eius. Multum reluctan-tem, repetitae preces Lutetias Parisiorum vocabant, vt a quo solo fere speraret auxilium, femina nobilis morbo grauissimo decumbens. Iam, qui nihil magnificentius nouit antiquorum commentis, Aesculapium mihi nominabit, a Romanis Epidauro accersitum: ego ibi video gentem semibarbaram, oraculi et somnii fide, nescio quod peregrinum numen aduehentem; hic, cultissimum populum, ad quem artis salutaris addiscendae cupidi, ex omni Europa confluunt, medicum ad se vocantem, qui cum Gallus manere potuisset, Germanus esse maluit.

Itineris

1761 (*) Inde a d. 3. Iul. 1760, ad 2. Ian, 1762.



Itineris circa aequinoctium vernali instituti molestias, non tulit corpus, ante iam extenuatum. Nam inde ab aliquot annis, et aeger aliquoties lecto decubuerat, et saepius sub vesperam, febriculae accessus fessa demum membra relinquentis experiebatur. Hinc legere, meditari, scribere, vix nisi matutinis horis poterat, nam diem aegris et discipulis tribuebat, quod sequitur tempus, amicorum, raro sine aliquod doctrinae augmento ab ipso discendentium colloquiis. Ego quidem, hac occasione illo fruendi, ob negotia mea, multo parcius usus sum, quam vel optassem vel ipse lubens permisisset, nam: amavit nos quoque Daphnis. Sed tamen fructus quem una illarum vesperarum ex colloquiis eius percepi, participes vos reddam auditores. Referebam illi, b. Mayerum, qui dum decumbebat, parum aut ut rectius dicam, nihil omnino, arti salutari tribuere. Tunc vero, mathematicum ea sola re peccare pronuntiabat medicus, quod arti applicaret, quae recte esset de artificibus dicturus.

C

Hoc



Hoc vitae genere, sperabat noster, cum paucis antequam abiret diebus me inuiferet, vitam se adhuc aliquot annos protracturum, cuius filum lucubrationes cito essent abrupturae. Iudicate auditores, quantus fuerit, qui ubi cum tot negociis, cum morbis, aliorum et suis conflictaretur, non noctes studiis tribuit, sed scientias ita auxit, breui illo tempore, quod fuit inter ortum diei et negocia diurna. Et agnoscas fere in scriptis viri, lumen, ad quod elaborata sunt, non triste et debile lucernae, sed laetum et viuudum aurorae.

Cum quae retuli mihi diceret, nesciebat adhuc instare iter omni lucubratione perniciosius. Argentorati subsistere coegit febris, indies ingrauescens. Aduocati medici, quales Roedererum nobis dederant, et illos, credibile est, quantumcunque in illis esset, vel hanc vnicam ob causam, vt seruarent hoc scholae suae decus, exseruisse. Vehementiam morbi, quam plures aequae potuerunt sentire, hic non describam: Praeter illam, Roedereri animum iudicabitis multa excruciasse,

vt:

vt: ab iis cum quibus longa consuetudo iun-
xerat, absentem in perpetuum separari, in me-
dio gloriae cursu sisti; sed inter haec, si recte
virum noui, acerbissimum fuit, quod pater
sensit: De illo vero, cum vt vellem loqui non
possim, silentio me id oportet vt pictor olim
graecus velo fecit, tegere. Hoc vnicum le-
nimen habuit, quod fratres et sanguine iuncti
amplecterentur, et quo magis amicus et ne-
cessarius Roederero nullus fuit, sodalis noster
Buettnerus, V. Cl. Horum inter planctus,
nocte quae quartum Aprilis sequeretur, ani-
mam reddidit ei, quem resurrectione sua, Vi-
ctorem mortis, veraeque vitae adfertorem,
illis diebus adorabamus. Luxit Academia pa-
tria, et tenet iam natale solum corpus quod
dederat. Nos, non inuideamus a febre con-
tinua liberato, nam talem esse vitam humanam,
erat vna ex aliorum, quas ipse probaret sen-
tentiis, et, si experimur, artem salutarem, in
qua tot saeculis, tot summa ingenia laboraue-
runt, neque mediocriter theoriam illius perfe-
cerunt, tamen adeo parum secure et ex votis
homi-



hominum administrari, vt ne quidem maxi-
 mis sui magistris multum profit, intelligamus:
 Deum solum statuere, quamdiu in hac terra
 opera nostra qualicunque in exsequendis con-
 siliis suis vti velit, nostrum vero esse, vt, ve-
 lut auocandi a statione sua milites, et parati
 semper, et alacres ad obediendum
 reperiatur.



ROE-



ROEDERERI SCRIPTA
SEORSIM EDITA

Programmata.

I.

- D**e axi peluis. Gottingae d. 16. Dec. 1751
2) Obseru. medicarum de suffocatis satura. Gott. 1753.
3) Obseruationes de Genitalibus virorum, ad Dissert.
D. Grund. Gott. Febr. 1758.
4) Obseru. de Cadaueribus infantum morbosis, ad Diss.
D. Weber. Gott. Mart. 1758.
5) Obseruationes de Foetu ad Diss. D. Iesaiæ Iudæ. Got-
ting. April. 1758.
6) Obseru. de Animalium calore, ad Diss. D. Grimm. Gott. 1758.
7) Obseruat. de Ulceribus utero molestis, ad anniuersa-
rium. Gott. Sept. 1758.
8) Obseru. de Cerebro, ad Diss. D. Vllmann. Gott. Sept. 1758.
9) Obseru. de Ossium vitiis, ad Diss. D. Bruno. Gott. Mart. 1760.
10) Animaduersiones de Taenia, ad Diss. D. Trampel.
Gott. Mart. 1760.
11) Animaduers. de Arcubus tendineis musculorum ori-
ginibus ad Diss. D. Stein. Gott. Mart. 1760.
12) Continuatio animadu. de Arcubus tendineis etc. ad
ad Diss. D. Iansen. Gott. Iun. 1760.
13) Obseru. de Morsu canis rabidi sanato, ad Diss. D.
Dahl. Gott. August. 1760.

C 3

14) De



- 14) *Animadu. de Febre ex intermittente continua ad anniuersar. Gott. Sept. 1760.*
- 15) *Obferu. de infantibus in partu suffocatis, ad Diss. D. Koerber Gott. Octobr. 1760.*
- 16) *Obf. de submersis aqua, ad Diss. D. Meder. Gott. Nou. 1760.*
- 17) *Obferu. de Phibisi infantum neruosa, ad Diss. D. Hempel. Gott. Mart. 1762.*
- 18) *Obf. de Cerebri scirrbo, ad Diss. D. Wendt. Gott. Iun. 1762.*
- 19) *Obferu. de Hydroke ouarii, ad Diss. D. Papen. Iul. 1762.*
- 20) *Oratio de Artis obstetriciae praestantia. Gott. Dec. 1751.*

Dissertationes

a) Quae totae a illo factae sunt.

- 21) *Theses medicae sub Praesidio Eisenmanni. Argentorati Mart. 1750*
- 22) *De Foetu perfecto pro gradu Doctoris. Argent. Maj. 1750.*
- 23) *De Ictero, illoque speciatim, quo infantes recens nati laborant. Gott. April. 1753.*
- 24) *De Vteri scirrbo. Gott. Aug. 1755.*
- 25) *Nonnulla motus muscularis momenta. Gott. Octobr. 1755.*
- 26) *De vi imaginationis in foetum negata, quando grauidae mens a causa quacunque violentiore commouetur, publici juris facta Petropoli. 1756.*
- 27) *Vtrum naturalibus praestent variolae artificiales. Gott. Iun. 1757.*
- 28) *De temporum in grauiditate et partu aestimatione. Gott. Sept. 1757.*
- 29) *De secretione. Gott. Febr. 1758.*
- 30) *De non damnando usu perforatorii in paragonphosi ob capitis molem. Gott. 1758.*

31) De

- 31) *De Partu laborioso.* Gott. Sept. 1760.
 Cuius unica autem solummodo observatio typis expressa est re-
 spondente D. Muller.
- b) *Quae illo non plane autore, sed suafore et
 moderatore enatae sunt.*
- 32) *De partu praeternaturali, quem sine matris aut foetus
 sectione absolvere non licet operatori.* Gott. Nou. 1755.
- 33) *De Funiculi umbilicalis deligatione non absolute neces-
 saria.* Gott. Nou. 1756.
- 34) *De signis foetus viui et mortui.* Gott. Mart. 1756.
- 35) *De Causis necessario mortem in partu inferentibus.* Gott.
 Nou. 1756.
- 36) *De Versionis in extrahendo partu praestantia et ad-
 miniculis.* Gott. April. 1757.
- 37) *De signorum grauiditatis aestimatione.* Gott. Mart. 1760.
- 38) *Tentaminum et observationum de morbo varioloso sa-
 tura.* Gott. Iun. 1762.
- 39) *De Morbo mucoso.* Gott. Dec. 1762.

Opera.

- 40) *Elementa artis obstetriciae.* Gott. 1753. 8. Denuo au-
 ta edita ibidem 1759.
- 41) *Observationum medicarum de Partu laborioso decades
 duae.* Cott. 1756. 4.
- 42) *Icones uteri humani.* Gott. 1759. Fol. Alter fasciculus
 s. actuarium dicas, iam aeri insculptus est.
- 43) *Opusculorum medicorum Tomi 2.* Gott. 1763. Complexi
 minora scripta, partim indicata. Est etiam inter ea
 commentarius de vi imaginationis in fetum negata,
 Acad. Imper. Petrop. oblatus.

Exhi-



Exhibita Soc. Reg. Scient. Göttingens.

- De mola.* 1752.
Comm. Soc. Sc. T. II. p. 354.
- De communicatione vteri grauidi et placentae.* 1753.
T. III. p. 397.
- De pondere et longitudine infantum recens natorum.* 1754.
Ibid. p. 410.
- Fetus parasitici descriptio* 1754.
T. III. p. 136.
- Sequentia, ob interruptam commentariorum editionem nondum prodierunt.*
- Monstri descriptio* 1755.
G. g. A. 1755. 58. St.
- Abdomen et cerebrum vrſi descripta* 1755.
G. g. A. 1755. 123. St.
- Capitis vitulini monſtroſi descriptio* 1756.
Gött. gel. Anz. 1756. 58. St.
- Vrſi anatome anni praecedentis continuata.*
- Renis ſingularis ex duplici descriptio.*
- Monſtrum ouinum ſex pedum* 1750.
G. g. A. 1756. 152 St.
- Inoculatio variolarum Göttingae inſtituta impenſis Soc. Reg. Scient. et leſſa diſſertatio de variolar. inoculatione* 1755.
G. g. A. 1757. 20 St. 137 St.
- Trichuridum, vermium in hominis inteſtiniſ ante non obſeruatorum descriptio* 1761.
G. g. A. 1761. 25 St.
- Fasciola truttae inteſtinaliſ et muris hepaticae,* 1762.
G. g. A. 1762. 61 St.
- De acubus, ventriculiſ, auſerino et gallinaceo ſine noxa inſiſiſ.* 1763.
G. g. A. 1763.

* * *

No 113. 80
8



17. 11.





ELOGIVM

IO. GEORGII ROEDERERI

MED. ET PHILOS. DOCTORIS ARCHIATRI REGII MEDICINAE
CHIRVRGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORIS IN ACADE-
MIA GEORGIA AVGVSTA PRINCIPATVS GOTTINGENSIS PHYSICI
SOC. REG. SCIENT. GOTTINGENSIS ACAD. IMPER. SCIENT. PETRO
POLITANAE SOC. REG. SCIENT. SVECICAE ACADEMIAE R. CHIRVR-
GOR. PARISINAE SOC. REG. TEVTON. GOTTINGENS. SO-
DALIS COLLEGH CHIRVRGOR. GOTTINGENS.
PRAESIDIS

IN CONSESSV

SOC. SCIENT. GOTTINGENSIS

D. XVIII FEBR. MDCCCLXIII

RECITAVIT

ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER

MATH. ET PHYS. P. P. O. SOC. R. SC. GOTTING. ACADD. REG. SC. SVEC. ET
PRVSS. SOC. ELECT. SCIENT. VTIL. JERFORDINAE ACADD. BONONIENSIS
ET AVGVSTAE PERVSINAE SOCC. THEOT. ET LIBB. ART. LIPSIEN-
SIVM LATINAE ET THEOT. IENENSIVM SODALIS SOC.
REG. THEOTISCAE GOTTINGENSIS
SENIOR

GOTTINGAE

APVD VICTORINVM BOSSIEGELIVM MDCCCLXIII